

*fieret, imo ab eventibus inopinatis confunderetur, id quod divinæ perfectioni non parum derogaret. His addo, quod, quoniam omnes in universo res nexu indivulso coherent, & status præsentis ratio semper in præcedente continetur, ideoque omnia uno continuo actu in intellectu divino repræsentantur, Deus non possit non omnia, maxima & minima præscire, sc. contingencia ut contingencia, necessaria ut necessaria, & actiones hominum liberæ ut liberæ, siquidem suas habent rationes, cur sint futurae. Et ideo vere Deo competit omniscientia.*

§. 7. Cum itaque perfectior intellectus concipi nequeat, quam qui *omnia possibili a uno actu, simul, distincte & adæquate intelligit*, non potest non Deo attribui (1) *summa sapientia*, qua in mundo mentali & materiali omnia ad optimos & perfectissimos fines ordinavit, (2) *summa prudentia*, qua optima & perfectissima media, ad fines a sapientia propositos acquirendos & conservandos conducentia constituit.

§. 8. Hic quæri solet: *num ex Dei sapientia omnia ita bene constituta sint, ut nil melius a Deo fieri potuerit?* Resp. quod facile intelligatur, res *perfectiores* i. e. plures realitatis gradus possidentes potuisse a Deo fieri ob ipsius omnipotentiam, imprimis si singulatim considerentur, sed etiam manifestum sit, Deum omnia in universo quam sapientissime constituisse, ita ut concipi haut possit, ipsum sapientius agere potuisse scil. *respectu finis sui, quem in creatione intendit*. Exinde simul intelliges, *quare Deus noluerit omnia, possibilia existere.*